



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

VII. Res defuncti presbyteri, vel abbatis, intactae permaneant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

V.

Sæculares vero, qui necdum sunt ad clericatum conuersi, res parochiarum, vel ipsas parochias minime ad regendum debeant habere commissas.

VI.

Vt nullus ante audientiam res quarumlibet ecclesiarum inuadere, aut auferre præsumat: quod qui fecerit, vt necator pauperum habeatur.

VII.

Vt defuncto presbytero, vel abbate, nihil ab episcopo auferatur, vel archidiacono, vel a quocumque, de rebus parochiæ, vel xenodochii, vel monasterii aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit, iuxta statuta Canonum debeat coerceri.

VIII.

De pœnitentia vero peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem hominibus esse censemus: & vt pœnitentibus a sacerdotibus data confessione indicatur pœnitentia, vniuersitas sacerdotum noscitur consentire.

IX.

Pietatis est maximæ & religionis intuitus, vt captiuitatis vinculum omnino a Christianis redimatur. Vnde sancta Synodus noscitur censuisse, vt nullus mancipium extra fines vel terminos, qui ad regnum domini Clodouei regis pertinent, penitus debeat venumdare: ne, quod absit, per tale commercium, aut captiuitatis vinculo, vel, quod peius est, Iudaica seruitute mancipia Christiana teneantur implicita.

X.

Si quis episcopus de quacumque fuerit ciuita-